

# DE DESCENSU CORPORVM SVPER PLANO INCLINATO ASPERO

AVCTORE

*L. Euler.*

## §. 1.

**E**adem principia, ex quibus in superiori differtatione Tab. IV.  
motum corporum super plano horizontali aspero, quatenus is a frictione turbatur, determinavi atque explicavi, multo latius patent, eorumque ope plurima alia phaenomena motuum corporum exponi et euolui possunt. In hac quidem differtatione constitui vsus istorum principiorum ante stabilitorum ostendere in motu corporum super plano inclinato descendendum definiendo, in quo negotio pariter frictionis rationem maxime spectari oportet. Singularia autem in hoc motu phaenomena deprehenduntur, quorum consensus cum conclusionibus ex memoratis principiis deductis vniuersae theoriae veritatem maxime corroborabit, quae confirmatio respectu eorum, qui nexum veritatum tam distincte intueri non valent, haud exigui momenti est existimanda. Et si enim leges motus, vnde haec deducuntur, aequae sunt necessario verae, ac regulae quibus in arithmetica et geometria utimur, tamen quemadmodum in arithmeticis operationibus probationes adhiberi soient, ita in mechanicis, conclusiones ex principiis deriuatas per experimenta comprobari conuenit.

§. 2. Phaenomena, quae in descensu corporum super plano inclinato occurrunt, potissimum huc redeunt,

B b 3

vt